Lane Medical Library

DE

PILIS EORUMQUE MORBIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE V. M. APRILIS A. MDCCCXLIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

OSCAR RIEDEL
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
F. NEITHART, MED. ET CHIR. DR.
A. BARRELET, MED. ET CHIR. DR.
O. FROEHLICH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40153318_0166

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE

SUMMOPERE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Omnino quidem verum non est habendum perfecto sanum neminem dici posse, certe tamen plurimos homines semper aegrotare, et gravioribus vel levioribus valetudinis perturbationibus affligi, negari non potest. Organismus enim externis rebus nocue in illum influentibus tot adeundi vias praebet, diversissimisque, quibus constat, partibus tam varie alienari potest atque laedi, ut tantum esse morborum et morbosarum affectionum numerum, vix mirari possimus. Alii, graviores, vel subitum vitae periculum afferunt, vel post longos cruciatus miseram minantur mortem, vel blanda sub specie, in alios eosque semper insanabiles morbos exeunt; alii, leviores, minus torquent, vel post aliquod temporis spatium, aptis adhibitis remediis, aut natura victrice inferiores decedunt, alii denique partes afficiunt minus vitales, neque graviter earum functiones

perturbant, indifferentes dicti, ob minorem in vitam et vitam quietam vim, magnamque, qua plurimi eos ferunt, animi aequitatem. Non magnum quidem hi neque periculum neque incommodum corpori affe-runt, tamen sunt crebri, et quum saepe ad alios graviores morbos melius cognoscendos meliusque removendos viam faciant, physiologicae cognitioni terras novas subjiciant, vel diaeteticam locupletentur artem, memoratu haud indigni.

Ad hos pilorum etiam plurimi pertinent morbi, qui tamen majoris, quam videntur, sunt momenti, et ad opusculum inaugurale, quale a me nunc est con-scribendum, dant fontem satis uberem. Ipse vero nihil de illa re expertus, non potui nisi sparsa e scriptis aliorum colligere; quod si etiam minus ac-curate fecerim, loci potius et temporis angustiis erit attribuendum, quam deficienti in colligendo diligen-tiae. Priusquam vero ad ipsos pilorum morbos transeam, ut aliqua primum de structura eorum et nutritione et usu praemittantur, necesse esse puto.

Pili vel crines partes dicuntur corporis humani filorum formam referentes, varii coloris et longitudinis, exteriori superficiei ubique, si manus volam pedisque plantam excipis, adhaerentes. Quod attinet ad sedem, ita distinguuntur: capillus caput ornat; coma dicuntur capilli longiores, mulierum praesertim, caesaries capilli breviores, virorum; barba mentum genasque decorat; mystax sub naribus, vibrissae in naribus, tragi in auribus sunt; cilia palpebris insident; supercilia orbitam supra coronant; pubes ad genitalia, plandebalae in alarum specu reperiuntur; lanugo dicuntur pili molliores, breviores, in partibus minus pilosis, in foetu omnes crines. Color eorum, forma, densitas, frequentia in diversis corporis partibus variat. Barbae, superciliorum, pubis color saepe alius est quam capillitii, fere saturatior. Densitas et longitudo est maxima in capite, crassitudo in pube.

Praeter has in diversis corporis partibus pilorum differentias, aliae quoque exstant aetatis et sexus. Foetus

ubique tectus est lanugine, neonatus pilis tenuissimis albidis; ex his, qui in capite sunt, jamjam fiunt longiores, et puerile etiam caput velamine satis denso obtegunt; ceteri versus pubertatem demum increscunt, colorem mutant, ita ut, qui antea fuerunt albidi, nunc fusciores, qui fusci, nigriores evadant. Tum pubes provenit, tum juvenile mentum barba decoratur virili. Virorum extremitates, pectus, abdominis linea alba ab umbilico ad pubis regionem, pilis densioribus validioribus teguntur; quum in mulieribus his locis lanugo tantum proveniat; mulierum omnino pili sunt tenuiores, molliores, breviores, coma tamen virili caesarie promissior; rariusque nisi arte, crispa. Sexto aut octavo aut decimo vitae lustro ocius serius pili solent canescere, crescere tamen nondum desinunt; donec in senectute ipsa illorum mors, totius organismi morte praecocior, defluvium vel lapsum inducit, quae mutatio primum capillos, tum barbam, postremo extremitatum pilos supervenit, virosque multo citius quam mulieres. Major etiam pilorum varietas in singulis humani generis occurrit individuis, nullis, vel latentibus adhuc legibus adscripta. Colorem ab albo per flavum, rutilum, rufum, brunneum, nuceum, fuscum, nigrum, ad teterrimum atrum transire videmus; cum colore crassities fere pilorum mutatur, ita ut obscuriores majorem, dilutiores minorem habere videantur diametrum. Porro figurae vel directionis magna est varietas, ita ut nunc strictos, rectos, nunc undulatim flexos, crispos reperias.

Pilus duabus constat partibus, altera breviore subcu-

tanea: radice, altera longiore externe conspicienda: trunco. Radix trunco mollior est et dilutior et infra ad parvulum quoddam capitulum intumescit, quod nominatur bulbus pili. Ex ea corpus molle, pulposum, fuscum proficiscitur, pulpa seu plastema pili, quod inhaeret folliculo, hic vasa nervosque accipiens, et in bulbi cavitatem prominet, atque ita pili matricem continet. Folliculum in fundo cryptae sebaceae patescere alii putant, alii vero, cryptam sebaceam nihil aliud esse quam folliculum et bulbum in ejus fundo formatum. Novissimas autem observationes Gurlt fecit, qui folliculos epidermidis demissiones esse dicit, quibuscum ductus excretorii duarum plerumque cryptarum cohaereant sebacearum et in eas effundant sebum cutaneum, quod in pilo ipso per angustum folliculi ostium penetrans in cutis superficiem procedat pilumque perungat, quamobrem supra unctus et lubricus et splendidus est. Quod attinet ad truncum, multi auctores eum duabus ex partibus constare dicunt, cortice et medulla. Cortex pellucidus est, albidus, junioribus pilis mollior, adultis admodum durus et corneus fere, ut vix destrui possit pilus; medulla est cellulosa et sedes coloris, quo pili splendent, nigrior in nigris. Pilorum nutritio et incrementum ita esse videtur. Matrix pili est pulpa, quae pili substantiam in superficie deponit. Continua vero depositione atque appositione massae recentis pars pili jamjam formata promovetur, quo pili crescunt. Unde venit ut bulbus pars pili minor et mollior sit, truncus et apex major. Gurlt, qui magnam esse dicit similitudinem for-

mationis inter pilos et dentes, e folliculi fundo in pilo orituro massam mollem et granosam, pulpam, supra usque ad primum pili rudimentum procedere opinatur, hanc in pilo adulto deesse et pro ea multas fibrillas tenues, fibrillis plantarum radicosis haud dissimiles, e bulbo ad folliculum exire. Ceterum truncus cum apice prius oritur quam bulbus (sicut in dente prius corona quam radix) illique jam in superficiem prodierunt priusquam ille est perfectus. In senectute haec ad peripheriam corporis nutritio non ita valida procedit, pilus canescit, moxque deficiente omnino medulla nutriente, dissoluta hinc cum folliculo subcutaneo prorsus conjunctione, elabitur, nulla renascendi relicta spe, quum ipse folliculus emoriatur, neque ullum ejus vestigium remaneat. Rarissimis istis, quae de capillis, post canitiem et defluvium senile, renascentibus et priori colore decoratis, narrantur, exemplis, folliculos vel omnino non destructos, vel novis restitutos fuisse, credo. — Si vero forte quadam, neque exhausta nimis vitali vi, cadunt, corio tantum superstite, tum plus minusve integri reproducuntur. Vis enim regenerationis maxima est in pilis; incrementum eorum nunquam absolvitur, nisi cum ipsa morte, abscisione immo augetur, intimis partibus exteriores, his extimas protrudentibus et restituentibus.

Firmitas pilorum, ob corneam corticis, est maxima. Vauquelin enim per plures dies eos cum aqua igni continuo exposuit; nullum vero vel minimae dissolutionis vidit signum. Ex aëre aquam ac verisimile e corpore

attrahentes longiores fiunt, quod certe non probat, eos increscere, ut Krafft contendere vult, quum pilos in humido extendi, in sicco vero contrahi, noscamus. Parum ducunt calorem et praecipue continent substantiam corneam et oleum coloratum. Superest ut nonnulla addam de electricitate pilorum. Qui sit pilorum in electricis experimentis instituendis usus, notum satis est; notum etiam in felibus, dorsum retro stringendo electrica produci posse phaenomena. Nec homines ejusmodi phaenomenis vacant; erectionem pilorum, praesertim capillorum in affectibus, terrore, formidine, metu, poetis et pictoribus usitatissimam, quam alii e spastica cutis et musculorum subcutaneorum contractione simulque humorum in pilos congestione, fieri volunt, hoc modo explicandam esse credo. Scimus enim, fluidum semper electricum in corpore produci et effluere, condensatore sic dicto percipiendum. Scimus productione ejus adaucta, capillos praesertim illi viam aperire. Electrici vero fluidi in corpore productionem ab affectibus magnam in partem pendere, ex illo licet videri, quod pisces electrici, irati, ictos suos quocumlibet dispertiant, quod canibus felibusque ex timore vel ira, terga, ut poeta dicit, setis horreant etc. Videmus enim, in hominibus corpore quodam, electricam materiam non recipiente isolatis, ut barbara voce utar, et electricitate expositis, capillos setose arrigi. Usus pilorum triplex fere esse dicitur: quod hominem a brutis discernant, quod ornent et quod defendant corpus. Ne vero ridiculus videar, nihil dicam de prioribus istis pilorum

sic dictis commodis; magnum certe illud est, quod ex iis, praesertim capillis, in corporis praesidium et tutelam ducimus. Capilli urgentes solis ardores, frigus, pluvias aliasque tempestatis noxas arcent a capite, quod in erecto homine his praesertim injuriis maxime exponitur. Superciliorum, musculo corrugatore agente, sub umbra oculi majore a nimia luce, superna praesertim, fruuntur quiete, simulque a sudore e capite defluente, aliisque noxis desuper irruentibus defenduntur. Idem ciliorum est commodum; conniventibus enim palpebris cruciantur, lucisque radios fulgentes aliquo modo obscurant, oculosque tuentur, ne pulvisculis, insectis sordibusque aliis, aeri innatantibus laedantur. Vibrissae et qui in meatu auditorio reperiuntur pili, eodem modo utiles fiunt. — Sed hoc quidquid sit commodum, certe si reliquos corporis pilos consideramus, negare non possumus, partes istas non ad praesidium tantum adesse, ut glandebalas, pubes etc. Equidem credo, functionem eorum esse hanc, ut humori, e folliculis secreto et cutem inungenti, inserviant excernendo. Humor videtur ab adipe et sebo esse diversus, mucidus, unguinosus, odore proprio instructus, excernendus, quum nocua contineat, excretus tamen perutilis cutem inungendo, flexiliorem reddendo, attritumque partium vicinarum impediendo. Hanc praesertim ob causam sub axillis, ad anum et pudenda multi adesse videntur pili.

Structura, oeconomia, usu pilorum perlustratis utut vires valebant, antequam ad ipsam eorum pathologiam transeamus, disserendum erit de iis, quae sanos pilos,

praesertim capillos servent incolumes et culturam eorum in corporis universi commodum adjuvent. Conspicuus est usus, quem pili, statu nempe sano gaudentes, corpori afferant; cavendum igitur, ne aegrotent, ne defluant. Plerique vero homines, non contenti pilos adesse, certam quoque eorum formam, certumque colorem praeferentes, his producendis remedia saepe adhibent nociva, quae pilorum praematuram mortem, totiusque corporis non parva incommoda afferunt. Nulla fere corporis pars majori colitur studio, nulla fugaci moris legi magis succumbit; neque certe negari potest, secundum illas, quae de pulchro apud nos valent, leges, magnum ex pilis corpori addi ornamentum. Non igitur ingratum fore spero, diaeteticem et cosmeticam pilorum nonnullis exposuisse. Mundities, uti omnium partium corporis humani culturam adjuvat, ita capillis quoque conservandis utilissima est. Inhaerent capillis fere squamae furfuraceae, vel ab epidermide divulsae, vel ex pulvisculis aëri innatantibus, subtilissimis, unguine pilorum compactae, quae illos vario modo, ad summum corporis incommodum, conglutinarent et implicarent, nisi quotidiana pectinatio intricationem impediret, sordes auferret, aërisque ad cutem subjacentem aditum patefaceret. Huic maximam non modo utilitatem, sed necessitatem quoque, inter omnia, quae ad capillos colendos praescribuntur, attribuendam esse censeo. — Multum quoque ad munditiem faciunt capitiluvia ex aqua non frigida nimis, quae tamen non imprudenter, dum sudor capitis adest, neque crebro nimis instituenda sunt, quum

gravia saepe corpori per suppressam transpirationem inferre possint mala, ipsosque pilos asperiores et rigidiores reddere soleant. Si quis pilorum copiam aut longitudinem velit curare, innocentissimo utatur unguento, cubitum iturus caput frigida lavet aqua, pectinationem et munditiem non negligat, neque tonsione et rasura incrementum pilorum maxime promoventibus, abstineat. Aliud vero est, si tonsio instituitur in aegro, validiore minus vel post graves morbos exhausto corpore. Vires enim jam imminutae, in pilorum regenerationem prorsus consumuntur atque restitui non possunt; et major totius corporis labes facile inde nascitur. Hinc in infantibus, praesertim atrophicis, caute adhibenda est tonsio, quum fortiores tantum eorum sine damno illam perpeti possint. Summum vero periculum ex tonsione capillorum oriri potest in illis morbis, qui critica pilorum excretione solvi solent, ut plica polonica, etc.

Jamjam ad alteram commentarioli mei partem venio, in qua de morbis pilorum nonnulla sum dicturus. Plerumque iis, partium internarum, radicem tegentium, subest affectio. Earum esse functionem scimus, ut nutrimenta parent, et excretionem aliquam perficiant, quae utraque functio potest perturbari, augeri, diminui, alienari ut varii pilis inde morbi nascantur. Quum praeterea exanthematicis quoque affectionibus non vacant, tres morborum, quibus pili laborent, ordines possunt constitui, quos nunc pro viribus ita sum expositurus, ut primum de perversa nutritione, deinde de exanthematicis pilorum

affectionibus, denique de secretione eorum anomala disseram.

Ad illos pilorum morbos ex nutritione perversa, primum pertinent vitia coloris, quorum, dum in corpore fiant conspicua, in medulla quidem est requirenda sedes (cortex enim albus semper et pellucidus est) causa vero proxima in anomala bulbi functione, qui vel alienatam, vel non sufficientem nutriendi materiem immittat. Viridis itaque et coeruleus pilorum color, haud raro apud homines cuprum pertractantes est observatus.

Frequentior vero et notabilior pilorum morbus, quo color praesertim mutatur, est transitus ejus in album vel griseum: canities, quae quidem, quum omnes pilos maneat, ornamentum senectuti venerandum additum, physiologicus potius status, quam morbus est appellanda, quum vero saepe ante legitimum tempus accidat, tum etiam morbis potest annumerari. Canities marasmus est pilorum, (vel senilis, vel praematurus) ex defectu succi nutritii orta. Bulbus, quem supra primum affici vidimus, minor fit, et corrugatus collabitur, pili corpus minus large nutritur, cortex nutritii succi maximam consumit partem, medulla rarior fit; hinc griseus pilorum canescentium color. Postea omne, quod e bulbo affertur nutrimentum, in corticis incrementum impenditur, medulla omnis abesse videtur, pilus niveus nunc apparet, crescere nondum omnino desinit, donec tandem, deficiente magis magisque nutrimento, is quoque moritur. Ad remotas canitiei causas omnia fere recenseri possunt, quae vel corpus universum debi-

litant, nutritionem perturbant, vel bulbos praesertim pilorum afficiunt: Vita dissoluta, Bacchi et Veneris nimius usus, onania, perturbationes animi, moeror, tristitia, curae, famis continua, morbi graviores, praesertim syphilis, phthisis, refrigerationes, capitiluvia incaute adhibita etc. Haereditaria quoque ad canitiem praematuram dispositio haud rara est.

Omnes corporis humani pili canescere possunt, capillos vero et barbam haec primum fere corripit affectio, quum hi, inter omnes, maxime sint aëris rigiditati, solisque ardori obnoxii, quum saepissime refrigeratione patiantur, quum denique nulli tam densi et conferti reperiantur, tantoque ad nutritionem indigeant humorum affluxu. Mulieres serius canae fiunt, ob pilorum fortasse majorem teneritudinem, praecipue vero ob laetiorem, post menstruationem cessantem, capillitii vitam, ejus vices suscipientem. Exstant praeterea apud varios auctores multa exempla canitiei, brevissimo tempore, vel una nocte, ex timore, amoris incendio, terrore, aliisque gravioribus animi affectibus enatae, quam alio quodam modo, vel e magno pilorum cum cerebro consensu, vel e subitanea acidi secretione, explicandam nonnulli putant. Prognosis canitiei secundum causas variat; senilis retardari quidem, nullo vero modo, si adest, sanari potest, praematura haud raro admittit sanationem: cani interdum decidunt capilli, et novi nigri restituuntur, vel ipsi nonnunquam cani vivaciorem induunt statum et colorem. Ad evitandam praematuram, ad retardandam senilem canitiem, regimen

plurimum, medicamenta minus valent. Vita praesertim tum tenuis, tum luxuriosa nimis, Veneris et Bacchi abusus, animi pathemata sunt fugienda; caput praeterea neque velamentis nimis tegendum est, neque intectum solis et aëris influxui exponendum. Frequens tonsio, quae nutritii succi ad capillorum radices impulsum auget, partes nutriendas minores facit, canitiem fortasse jamjam incipientem coërcere, immoque supprimere potest. Quae vero jam universam vel permagnam comam tenet canities, praesertim senilis, curam vix ullam admittit.

Sicuti marasmus senilis ad mortem irretentus ducit, ita canitiem quoque ocius serius sequitur calvities, ex morte pilorum. Nutritio, quae in canitie perturbata tantum et imminuta erat, cum omnino cessat et interrumpitur, conjunctione, quae pilo est cum folliculo, dissoluta, pilus desiit; pars pilis antea tecta, calva fit. Multa sunt huic malo addita nomina. Commune, quod omnes ejus species amplectatur, non aliud habemus, quam: lapsus, defluvium; hoc vel universale est vel partiale. Universale, quo omnes totius corporis crines defluunt, est depilatio; partiale est vel madesis, qua non omnes pili decidunt, sed paullatim fit depilatio, ita ut rariores evadant pili, nulla tamen pars omnino denudetur; vel secundum singulas, quae tegumento orbantur, partes, defluvium capillorum, seu calvities, lapsus barbae, ciliorum seu ptilosis. Maxima vero nominum differentia ex diversa, quae defluvio subest, causa provenit. Nascitur enim pilorum lapsus vel e siccitate humorumque inopia, vel e corrosione cutis

2

et bulborum. Veteres utramque hanc speciem semper distinguunt, illam calvitiem, hanc alopeciam, aream, dicentes. Calvities, uti canities, vel senilis est, vel praematura, et tum inter morbos referenda. Haereditaria etiam ad praematuram calvitiem dispositio apud nos saepe occurrere videtur. Pilorum et capillitii praesertim dignitatem si nobiscum perpendimus, incommoda multa e jactura illorum fluere, facile autumare possumus. Profecto omnia, quae subinde ex tonsione evenire possunt nocua, calvis eo magis imminent. Frequentes catarrhi, rheumatismi, capitis dolores, vix summa calvariam obtegendi cura evitari possunt. Calvities senilis, paullulum retardari quidem, nunquam vero restitui potest. Quae ex hereditaria dispositione fluxit, nullam admittit sanationem. Contra quae ex nutritione deficiente in morbis acutis, reconvalescentiae praesertim stadio oritur, madesis vel depilatio, causis illis devictis, viribus restitutis, tertio vel quarto plerumque mense sanari solet; nonnunquam etiam aeger per plures menses, vel annos, calvus, novo morbo exorto, pilos omnes renasci videt. Quae hecticos sub morborum chronicorum fine supervenit depilatio, letale exhibet signum. Calvities ex lue venerea, quae non rara est, remota causa nonnunquam tollitur, nisi inveteratissima fuit syphilis, aut mercurii abusu vires nimis exhaustae. Cutis in cicatricibus durior et solidior nullum pilum transire sinit, hinc cicatrices semper crinibus destitutae sunt, hinc in ptilosi, relictis ad marginem palpebrarum ex psorophthalmia cicatriculis, cilia renascentia a solito loco depulsa, ad latus

hinc inde erumpere coguntur, versus bulbum oculi diriguntur; malum, trichiasis dictum, quod oculo incommoda multa affert, continuo stimulo, inflammationes, exulcerationes corneae gignit, saepeque nullam admittit sanationem. Ad praevertendam, ac si forte acciderit, emendandam calvitiem multa laudantur; prophylactica remedia nullo bono gaudent effectu, nisi evitatis simul illis causis, quas defluvium pilorum gignere supra vidimus. Lapsis vero jam capillis ars nostra advocata, succurrere saepe potest. Primum est, ut secundum ipsas defluvii causas medendi ratio instituatur, deinde aptis remediis cutis roboretur, succusque nutricius ad pilorum radices quasi invitetur.

Vitium aliud defluvio pilorum contrarium est hirsuties, vel nimium eorum incrementum, quod etiam ex anomala bulborum actione explicandum, haud raro obvenit. Cujus proxima causa videtur auctus succi nutritii ad bulbos pilorum affluxus, et carbonii in corpore abundantia. Est itaque fortioris plerumque constitutionis, valentisque corporis signum, non, ut alii dixerunt, causa, et praeter foedum saepe adspectum, parum incommodi affert. Melius quidem esset, naturae indulgere, nimiumque pilorum incrementum non coercere, nisi incommoda inde corpori nascuntur. Quod etsi rarum sit, tamen nonnunquam obvenit, et tum certe licet abundantes corripere.

Pilos affectionibus exanthematicis non vacare e tinea praesertim licet videre, in qua bulbilli pilorum intumescere plerumque et vitiari dicuntur, ita ut Duncan sedem hujus morbi in ipsis pilorum bulbis ponere non dubitaret. Sunt

quidem observationes, quae integros fuisse in tinea, neque ullo modo destructos capillos affirment; ideoque opinionem, quam ille proposuit, minus certam faciant; rem tamen non omnino negligendam, sed pilorum potius in tinea conditionem ulterius esse explorandam, credo. Tineae magnam proponere descriptionem, non meum est; sat erit dixisse, duas esse tineae species, tineam capitis, porriginem, et faciei, porriginem larvalem, quae loco potissimum, quem occupent, differre videantur, quum illa in capillata capitis parte, haec in partibus capitis minus pilosis, fronte, genis etc. obveniat. Utraque ex eodem fere fonte fluit, infantili aetati propria, rarius post pubertatem visa. Sedes ejus rete vasculosum cutaneum est, externa corii superficies. Inflammatur illud, et, pustulis exortis, fluidum effunditur limpidum, serosum ab aëris attactu in crustas varii coloris et figurae transiturum. In tinea vero capitis, quae ad capillorum et ciliorum radices in conspectum venit, bulbos ipsos, corio respondentes, ni idiopathice, tamen sympathice quoque affici, morboque novam inde venire faciem, qua differat a tinea faciei, probabilitatis multum prae se fert. Facillimum evulsionis experimentum docet, pilorum bulbos tineosis intumescere, nigrescere, quin etiam erodi et destrui. Capilli ipsi conglutinantur, apicibus post nutritionis et soliti unguenti inopia rigidis nimis et debilibus, rumpuntur, varioque modo mutilantur, denique radicibus corrosis, omnino defluunt, post aliquod temporis spatium recreturi quidem, sed molliores initio, lanaeque albae similes. Affectionem capillorum magni in

tinea esse momenti, magnamque ejus facere partem, bonus quoque successus edocere videtur, quem multi ex eradicatione pilorum in tinea graviori et rebelli nonnunquam viderunt. Quam tamen crudelem operationem longe alienus sum ut laudem, quum saepe, sive per transspirationem in capite subito suppressam, sive per mali ipsius praeposteram repulsionem, graviora mala, diarrhoeae, ophthalmiae, tussis suffocativa, hydrops pectoris, saepissime vero hydrocephalus acutus oriantur. Eandem ob causam nimis quoque et improvisa tineosi capitis tonsio est rejicienda, quam vulgi probatissimam tineam aggrediendi methodum summum saepe periculum afferre supra vidimus. Eodem modo, quo tinea capitis et illa faciei differunt, lichen quoque pilaris a simplici differre videtur; in illo nempe est eruptio papularum ubique in cute, in hoc nisi ad radices pilorum. Neque acutis exanthematibus exemti videntur pili. Reil de morbillis dicit, in medio exanthematis esse nodulum, per quem pilus transeat, ita ut tumidus pili bulbus vel folliculus videatur; et de scarlatina, ob sanguinis ad glandulas cutaneas (folliculos nempe pilorum) affluxum, in pectore et extremitatibus superficiem esse scabridam, cuti anserinae similem. Neque a vero abhorret, bulbos etiam pilorum, qui corio respondent, in scarlatina et morbillis, affectos fore, quum saepissime, sicuti epidermis post desquametur, ita pili quoque defluant.

Reliquum est, ut de illis pilorum morbis disseram, qui ex anomala eorum functione excretoria nascantur.

Duplicem vidimus hujus functionis esse usum, primum, quod nocua et superflua e corpore efferat, alterum, quod cutem ipsosque pilos inungat et flexiles reddat. Hinc si perturbatur, incommoda varia tum universo corpori, tum pilis praesertim inde gigni necesse est. Illa non ad me pertinent, haec vero in ipsis pilis conspicua, accuratiori nunc sunt subjicienda examini. Potest vero excretio ista vel supprimi, vel praeter modum augeri, quo fit, ut pili tum aridi, tum pingues nimis appareant, vel denique alienari et vitiari, quod est praesertim in plica polonica.

Si parca nimis est, vel omnino suppressa productio humoris, qui ad pilorum radices excernitur, tum pili, solido unguine privati, sicci, rigidiores, flaccidi fiunt, primum minus laete crescunt, post canescentes crescere desinunt, donec aridissimi postremo defluunt. Contrarium huic vitio aliud est, pilorum nimia pinguitudo, liparotrichia, ex adaucta morbose unguinis secretione. Occurrunt saepe homines, quibus ex hac causa capilli splendent, et peculiarem quendam nec gratum emittunt odorem, quibus, si pectinationem negligunt, e pulvere subtilissimo, aëri innatanti, qui capillis unguinosis illabitur et conglutinatur, vel etiam ex ipso unguine ad aërem siccato, crustae semper sordidae, vel farinosae squamulae, pediculorum tutum domicilium, inter capillitium haerent. Accedo jam ad pilorum morbum gravissimum et maxime singularem; plicam polonicam. Iis est adnumeranda morbis, qui jam per longum temporis spatium clarissimorum medicorum attentionem excitarunt, nemo autem adhuc veram hujus mirifici morbi

naturam cognoscere atque accuratius describere potuit, quare maxime variae atque inter se discrepantes adhuc exstant sententiae non solum de ea re, quomodo quandoque exstiterit hic morbus, sed etiam de ejus natura et indole, et ne hodie quidem compositae sunt controversiae. Invenitur plica polonica endemica in toto Poloniae regno priori et in Ucrania. Omnes ea afficiuntur Poloni, nullus est exceptus sexus, nulla aetas; complures etiam animalium species ea laborant, uti lupi et canes, et equi fere per totam Russiam eo corripiuntur. Sporadice autem plica Polonica in aliis et praecipue Poloniae vicinis invenitur terris. Nonnulli medici eam quoque in Germania, Hungaria, Hollandia, Italia, Gallia deprehendi, affirmant. Considerantibus naturam morbi plicosi et symptomata ac signa, quae formationem plicae verae praecedunt, variorum medicorum maxime variae sententiae nobis offeruntur, quae non raro tali modo inter se discrepant, ut facile intelligi possit, maxime diversos morbos pro plicosis habitos esse, dum multi medici temere morbo trichomatico unam tantum eandemque semper causam tribuunt, et ceterum eum nullius momenti esse, nullaque cura therapeutica indigere censent, quia fictum et imaginarium malum habent, immunditie tantum et squaloribus exortum. Jure igitur obstupescimus, quum novissimo tempore descriptiones hujus morbi legimus, atque loco innumerorum morbi symptomatum pauca tantum conspicimus signa, quae semper adsunt, et semper decursum morbi regularem concomitantur. Si morbus plicosus forma simplicissima et be-

nignissima insignitur, signa praebet languoris et lassitudinis universalis. Aegroti dolores artuum queruntur, rheumatismum et arthritidem, cum febri intermittentis vel remittentis typi. Cephalalgia, hemicrania, prosopalgia; — affectiones variae systematis nervosi, lassitudo et animi demissio, insomnia, appetitus perversi, vertigo, spasmi, paralyses variarum partium, hypochondria, melancholia, hysteria, hydrophobia, mania; — affectiones sensuum: amaurosis et cataracta, diplopia, epiphora, photophobia et photopsia, strabismus etc., surditas, auditus duplex, tinnitus vel susurrus ante aures, olfactus et gustus deletus etc.; affectiones catarrhales ad phthisin usque; — passiones systematis reproductivi, oppressiones epigastrii, cardialgia, vomitus, singultus, dysenteria, haemorrhoides, menstruatio irregularis, ossium affectiones, multaque alia certe non morbi plicosi sunt symptomata, plurima sine dubio criseos per aliam viam perficiendi imperfecta conamina, arthritidi anomalae bene sunt comparanda. Constantissima morbi plicosi signa sunt affectiones nervorum, dolores arthritici, dolor epigastrii, cum urina jumentosa. Febris ipsam evolutionem comitari solet. Tum inter sudores capitis profusos, inflammati bulbi intumescunt, pili ipsi crescunt, tum longiores fiunt, tum dilatantur; excretio, quae in illis fit, augetur simul et alienatur, ita ut viscidus circa radices, et ex ipsa pilorum superficie effluens humor pilos primum obducat, postea a basi ad apicem usque conglutinet et contorqueat, proprium exhalans odorem, teste Hoffmanno similem ei excrementorum, quae

magnis sulphuris dosibus evocantur. Si ad suscipiendum criticum effluvium capilli non sufficiunt, alii quoque corporis crinis, barba praesertim et pubes, eodem modo plicis deformantur, nec raro ungues, pilis proximum locum tenentes, mali partem suscipiunt, lividi fiunt, squalidi, contorquentur, vario modo corrumpuntur et decidunt. Siquidem per criticam plicae evolutionem priores levantur affectiones, tamen crisis nondum perfecta est, plicam porro crescere et maturitatis quendam gradum attingere oportet, antequam sine damno possit abscindi. Hoc plures nonnunquam menses, quin etiam 3—4 annos suspendi debet, quum praematura plicae resectio, omnia, quae supra dixi, mala reducere soleat, amaurosin praesertim, maniam, convulsiones, tum insanabilia saepe et lethalia, quum minus cito critica sperari possit depositio. Coeci, surdi, muti, paralytici, quorum magnus inter Polonos est numerus, plerumque hanc mali causam deplorant. Plica endemica est, Poloniae vicinisque terris propria; si in aliis unquam obvenit sporadica, ex translatione semper est contagii per Polonos vagantes exorta.

Causae hujus morbi, etsi in endemico facilius videantur exquirendae, profecto nondum patent; arguuntur quidem a variis auctoribus multae, quas tamen favere, non primum originem plicae dare mox videbimus. Nulla aetas, nullus sexus, nulla corporis constitutio, nullus civium ordo, ne bruta quidem a morbo isto teterrimo tuta sunt et libera. Causa frequentissima haereditaria videtur dispositio, ita ut malum a patre in filium, nonnunquam etiam

ab avo in nepotem, intermedio parcens, transeat. Propagatur etiam saepissime per contagium, concubitu, lactatione, lectorum, balneorum, vestium, mitrarum communio etc. translatum. Quid vero praeterea morbum excitet, quid primam ejus originem inducat, nondum est in conspicuo, etsi plurimae de hac re exstent hypotheses. Antiqua fuit opinio Vistulae flumen partes arsenicales e fodinis metallicis, quas in cursu suo tangat, secum ducens, fontem esse plicae, vel quum ex eo bibant homines, vel quum per frequentes inundationes, stagna relinquat aërem humidum, foetidum, insanum exhalantia. Sunt vero in Polonia regiones, aliae Vistulae proximae, ubi rarior plica, aliae, neque per aliud quoddam flumen perreptae, ubi tamen frequentissima reperiatur plica. Accusantur praeterea nimia capitis velatio, caro suilla, haleces, aliique pisces, animi pathemata, terror praesertim et moeror, quae quidem omnia germen praedispositae plicae evolvere posse concedo, non vero primam ejus explicare originem, quum omnia haec aeque aliis in terris reperiantur, ubi tamen plica nulla sit. Immunditie vero et cultu capillorum neglecto, quod alii dicunt, plicam provocari neutiquam videtur probandum, quum plica sordidam quidem plebem aggrediatur, tamen inter elegantioris conditionis homines multo frequentius reperiatur, quam vulgo creditur, quum hi plicam in probrum ducant, et sedulo soleant occultare. Ob frequentem plicae cum lue venerea complicationem, quae morbo nostro saepe syphiliticam imponit faciem, aliis, luem veneream praecipuam et proximam plicae esse cau-

sam, placuit. Quae opinio eo autem reprobatur, quod plicam polonicam et in iis invenimus provinciis, ubi lues non grassatur, ut in provincia Posnaniensi. Alii contendunt, plicam esse morbum cutaneum instar leprae, pellagrae, elephantiasis. Quae vere arthriticam plicae naturam demonstrare possint, plurima quidem sunt, totus morbi decursus arthritidi simillimus, magna ossium fragilitas ex utroque morbo consecutiva, aliaque phaenomena multa, sed clare non ducet, cur in Polonia tantum mirabilis illa capillorum deformitas oriatur, et quidni omnes morbi arthritici, quorum mehercle non pauci in Polonia obveniunt, pilorum conglutinatione finiantur, et cur vice versa post alios morbos acutos vel chronicos, nullis arthritidis symptomatibus conjunctos, saepe plica velut crisis emergat? Si demum consideramus, persaepe plica affici infantes, arthritidem vero rarissime tenerae supervenire aetati, opinio de arthritica trichomatis indole plane est rejicienda. Endemica morbi natura, terribilis plerumque symptomatum vehementia, nulla unquam, nisi per plicae eruptionem, crisi salutari levata, criseos per menses annosque continuandae tristis necessitas, morbi per materiam criticam translatam facillima propagatio, aliaque multa endemicam plicae esse causam, eamque peculiare quoddam morborum genus constituere, cujus proxima causa praesertim in infausto Poloniae situ sit quaerenda, sat superque edocere videntur.

Quod attinet ad prognosin, in genere est mala. Plica malum est gravissimum, in iis terris, quas ende-

mice occupat, magnam inter incolas stragem disseminans. Morbus plicosus nobilissima plerumque organa afficit, quae quidem affectiones plicae ipsius eruptione solent levari, nonnunquam vero, quum imperfecta fuit crisis, remanent etiam, et diuturnitate perniciosiorem multo induunt naturam.

Diximus supra plicam polonicam rarius medicorum curis tradi, eamque ob causam, naturam ipsius et causam adhuc plane ignorari; mirum itaque videri non potest, quod certa plicae medendi via usque nunc nos lateat, quodque malum tot homines misserrime corripiat. Quum haereditarie et contagiose ut plurimum propagetur, et endemice Poloniam devastet, ad exstirpandum malum medici parum possunt, reipublicae vero administratores plurimum, superstitionis tenebras fugando, praeconceptas vulgi opiniones delendo, et legibus aptis mali propagationem impediendo. Ad medicos vero quod attinet, nobis fere omnia desunt indicantia. Prae omnibus instituenda est curatio prophylactica, cui exercendae autem maximae opponuntur difficultates: causas tum disponentes, tum excitantes, quantum ejus fieri potest, cognoscere atque removere. Morbo jamjam instante crisis quoquo modo est promovenda. Nullo prorsus de maturitate plicae dubio relicto, licet illam pluribus vicibus sensim sensimque rescindere, ne caput onere suo subito liberatum refrigeretur. Eandem ob causam post resectionem coma adscitia vel alio capitis tegumento utendum est, donec capillorum sufficiens succrescat copia. Malo per

hanc methodum fugato, cavendum est ne revertatur, quod tamen fit saepissime; tunc eadem medendi via instituenda, quae vero e repetitis mali accessibus sequitur, universalis labes et corporis consumtio, quantum fieri potest, aptis remediis corrigenda. Experientia maxime probat methodum resolventem, qua de causa saepissime utimur Cicuta, Calomelano, acidis vegetabilibus, multisque aliis remediis.

VITA.

Oscar Riedel natus sum Nissae die secundo mensis Augusti a. MDCCCXXV, patre Gustavo, divisionis pastori, matre Augusta e gente Maafsė, quos salvos deus O. M. mihi servavit. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Nissense adii, quod tum sub auspiciis Clar. Scholtz florebat. Tum patre cum familia Berolini domicilium collocante, h. u. frequentavi gymnasium ad monasterium canum, deinde Friderico-Werderanum, quod directore Clar. Bonnel tunc florebat et adhuc floret, cui viro, optime de me merito, uti omnibus gymnasii praeceptoribus, maximas gratias habeo semperque habebo.

Maturitatis testimonio instructus m. Aprili a. MDCCCXLIV inter cives instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum et per quadriennium hisce interfui scholis:

Cel. Beneke de logice et psychologia;

Cel. Preufs de historia;

Cel. Turte de physice et pharmacia;

Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi libris, de pathologia generali, de historia medicinae;

Ill. Mitscherlich sen. de chemia anorganica et organica;
Ill. Link de botanice et historia naturali;
Ill. Schultz de botanice;
Ill. Lichtenstein de zoologia;
Ill. Weiſs de mineralogia;
Ill. Schlemm de osteologia, de syndesmologia, de splanchnologia, de anatomia organorum sensuum;
Ill. Mueller de anatome universa, pathologica et comparata, ac de physiologia;
Cel. Eck de physiologia generali, de semiotice, de therapia generali, de morbis contagiosis, de morbis simulatis et dissimulatis;
Ill. Mitscherlich jun. de materia medica;
Ill. Schoenlein et Beat. Wagner de pathologia et therapia speciali;
Ill. Horn de morbis psychicis;
Ill. Juengken de chirurgia speciali;
Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, de medicina forensi;
Cel. Troschel de arte fascias rite imponendi, de ossibus fractis et luxatis;
Cel. Boehm de akiurgia;
Ill. Schmidt de arte obstetricia;
Exp. Lauer de medicina militari.

Duces mihi fuere in arte cadavera secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm, in operationibus chirurgicis Cel. Boehm. Praeterea interfui Ill. Schoenlein et Cel. Wolff clinicis medicis; Ill. Juengken et Beat. Dieffenbach clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis; Ill. Schmidt exercitationibus obstetriciis; Ill. Casper exercitationibus medico-forensibus.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quam possum, maximas ago semperque habebo gratias.

Nunc per annum medicus inferior in nosocomio caritatis regio functus, ad exercitum sum profecturus.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Apud fracturas sanandas methodus Seutiniana aliis est praeferenda.
2. Diaeta in multis morbis efficacior quam medicamenta.
3. Chloroformum aetheri esse anteponendum.
4. Medicus philosophus sit necesse est.
5. Medicus venenis non utitur.